AD LAVDEM ET GLORIAM D. O. M.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

De Charitate Virtutũ omnium excellentissima,

In Alma Acad: Crac: Regni Poloniæ Gymnasio Generali,

A

M. SIGISMVNDO GREGEROWIC,

S. Th. Doctore & Professore, Protonotario Apostolico, Ecclesiæ S. Nicolai Præposito, Scholastico Moscorouien: Paroch: Paiecinen:

Ad disputandum

PRO LOCO

Inter S. Theologicæ Facultatis Doctores, eiusdemque Alm: Acad: Crac: Professores obtinendo


PROPOSITA.

Anno Domini, 1648. Mense Martio die 10 horâ 14

In Collegio Maiori, Lect: DD. Theolog.

CRACOVIÆ,
In Officina Christophori Schedelij, S. R. M. Typog.

In Arma Illustrissimæ Domus.



Quàm bene conueniunt & in Vna sede morantur
Et Mauortis honos, & Pietatis amor!
Vt robur videas: Gladius ferit ora Bisontis,
Vt pateat pietas: Victima cæsa cadit.
Auguror; æternos Domus hæc florebit in annos,
Quæ Patriæ & Superis officiosa placet.

Illustrissimo ac Reuerendissimo Principi & Domino,

D. MATTHIÆ LVBIENSKI,

Dei & Sedis Apostolicæ Gratiâ

Sacræ Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnensis

ARCHIEPISCOPO,

Legato Nato, Regni Poloniæ Primati Primoque Principi,

Dño D. Clementiss: & Patrono Colendiss.

PRudens literati laboris æstimatrix Academia, Illustrissime PRINCEPS, Domine, Dñe Clementissime, cùm in me fideles annorum circiter quadraginta in statione Academica labores, emeritorij beneficij ad ædem D. Nicolai Crac: collatione præmiâsset: etiam proprio inter Doctores Theologicæ Facultatis loco, me noluit esse destitutum. Non congruebat nimirum, annis ac laboribus grauatam ætatem, vnico hoc post tot

ſperata vitæ ſubſidia, ſolatio fruſtrari. Decebat, honorificum Vniuerſitatis beneficium, in me, à viris in Academia digniſsimis, ægrè me tum à nobiliſsimo Collegij Maioris conſortio dimittentibus, coronari. Qui quidem honeſtæ ambitionis affectus, vt deſiderato effectu faciliùs potiretur, Romam Studiorum Matrem glorioſam, & virtutum omnium ac Religionis Chriſtianæ Principem, anno proximè lapſo viſitaui, ibiq; poſt Beatiſsimorum Sanctiſsimi Innocentij X. feliciter moderni Supremi in terris IESV CHRISTI Vicarij pedum oſcula, & liminum Principum Apoſtolorum venerationem, optatam in facultate Theologica Laurum à Sapientiæ Romanæ præſidibus, ſum conſecutus. Inde verò cùm me in proprium, poſt ſuſcepti itineris difficultates, domicilium recepiſſem, nihil ampliùs reſtare vidi, niſi vt Quæſtionem Theologicam, peruetuſto ac laudabili Maiorum Academiæ Noſtræ inſtituto, multis alijs in eum finem lucubrationibus & Academicis laboribus præmiſsis, publicæ luci atque diſputationi exhiberem. Ne ergo concepta Almæ Vniuerſitatis vota videar ampliùs remorari, accepi præſtantiſsimam de Charitate materiam, velut abſolutum Legis vtriuſq; compendium, quod ad Te, Illuſtriſsime Princeps, iure quodam optimo feſtinauit. Quem enim Te vno maiorem poterat reperire Patronum, quàm eum, in quo præter Maiorum ſuorum natiua, præter eximiarum Virtutum ac ſapientiæ propria ſimulachra, omnia prima & ſumma, velut in primo Antiſtite, Primo Primate ac Principe, Orbis Sarmaticus veneratur. Accedit, quòd cùm benigno ſatis ſinu excipere ſoleas literati laboris ſpecimina, cùm Academiam noſtram pietatis & ſapientiæ parentem Principe dignâ complectaris beneuolentiâ, cùm me immeritum licet Spiritualibus circa meam Parochialem ornare digneris fauoribus, quid aliud efficis, niſi vt & Muſæ atque literæ, patrocinium; Academia, in Contubernij Noſcouiani magnifica prouiſione ſtudium; ego de-

ego deniq; minimus, singularem gratiam Tibi, Princeps Illustrissime, in acceptis nos referre gloriemur. His ergo de causis mea hæc tenuis ad Te properat lucubratio, traditura quod debet, non petitura, quod non meretur. Suscipe igitur, Princeps Illustrissime, hanc debitam meæ Tibi deuotæ mentis testificationem, meq; Archidiœcesis Tuæ indignum in Ecclesia Paiecinensi Parochum, Tuâ Pastorali Benedictione, cum grege mihi à Te commisso prosequi, & in hoc certamine Theologico Auctoritate Tuâ protegere, fauore erigere, non dedignare. Partium mearum erit, orare, vt qui Tibi locum hunc in Ecclesia & Repub: Principem dedit (dedit autem omnium laudandarum rerum auctor & creator Deus) idem velit vtriusq; rei fructum esse quàm maximè diuturnum, & æquare vitæ spatium cum ijs bonis, quibus Te summa cum felicitate Regni cumulauit. Dat: ex Aedib: meis ad S. Nicolai Crac. A. D. 1648.

Illustrissimæ Celsitud: Vestræ

Indignus coram Deo Exorator,
& Humillimus Cliens

M. Sigismundus Gregerowic,
S. Th. D. ac Professor, Ecclesiæ S. Nicolai Præpositus Crac.

Sanctus Augustinus de laudibus Charitatis.

ILLE TENET, ET QVOD PATET, ET QVOD LATET IN DIVINIS ELOQVIIS, QVI CHARITATEM TENET IN MORIBVS.

QVÆSTIO
DE CHARITATE

Ex 2. Secundæ Doctoris Angelici.

V. Charitas, quæ eſt qualitas creata, & vera inter Deum ac hominem amicitia, animæ hominis à Spiritu Sancto ad diligendum ſuper omnia Deum infuſa; in appetitu intellectiuo tanquam in ſubiecto reſidens; per maiorem radicationẽ augeatur; & quouis actu peccati mortalis amittatur, necnè?

CONCLVSIO I.

Charitas, quâ Deus diligitur, est qualitas creata in Anima.

COROLLARIA.

I.

Charitas homini infusa est participatio diuina.

II.

Charitas in propria significatione habitum supranaturalem importat.

III.

Homo iustus, ex charitate facilè & delectabiliter operatur.

IV.

Charitas, ipsâ animâ, ac alijs rebus creatis est nobilior.

V.

Sicut fides in intellectum, ita Spes & Charitas à gratia in essentia animæ recepta, dimanant.

VI.

Sententia Magistri libr. 1. Sent. dist. 17. docentis. *Motum dilectionis Deum propter se, & proximos propter Deum, in nobis non esse ab habitu creato, sine errore sustineri non potest.*

CONCLVSIO II.

Charitas, quâ Deum diligimus, est vera ac perfecta amicitia.

COROLLARIA.

I.

Homines iusti meritò amici Dei nuncupantur.

II.

Ad Charitatem, prout est amicitia, æqualitas rigorosa non requiritur.

III.

Charitas est amicitia in gradu excellentissimo.

IV.

Fides & Spes, ad opera Charitatis antecedenter se habent.

V.

Iusti opera ex Charitate valorem obtinent.

VI.

Inter Deum & homines iustos mutua interuenit dilectio; illius tamen initium à Deo.

CONCLVSIO III.

Charitas est principium dilectionis, quâ Deus super omnia diligitur.

COROLLARIA.

I.

Dei dilectio super omnia est dilectio maior appretiatiuè, non intensiuè.

II.

Dei dilectio est ratio dilectionis eorum, quæ sunt infra Deum.

III.

Inter dilectiones illorum, quæ sunt infra Deum, prior est suiipsius quoad bona Spiritualia.

IV.

Dilectio vltimatè ad Creaturas terminata, non est ex Charitate.

V.

Dilectio bonorum spiritualium, dilectioni aliorum Creaturæ bonorum præponderat.

VI.

Charitas ordine certo in bona fertur.

CONCLVSIO IV.

Charitas in appetitu intellectuali est subiectiuè.

I.

Actus Charitatis, à Voluntate, cum subordinatione ad intellectum, eliciuntur.

II.

Charitas actuum meritoriorum est principium.

III.

Charitas supra actus aliarum virtutum imperium tenet.

IV.

Charitas virtutum aliarum forma conuenienter appellatur.

V.

Juxta intensionem habitus Charitatis præmium meritorum crescit.

VI.

Charitas, non modò à fide & spe, sed etiam ab entitate gratiæ distinguitur.

CONCLVSIO V.

Augmentum Charitatis per maiorem radicationem in voluntate fit.

COROLLARIA.

I.

Dogma Iouiniani, quem Lutherus & Lutherani ſequuntur, omnes iuſtos eſſe pares in ſanctitate, Iuſtitia, & Charitate, ab Eccleſia meritò eſt condemnatum.

II.

Charitas Viatorum in infinitum augeri poteſt.

III.

Charitatis augmentum & aliarum virtu'um, nimirum Iuſtitiæ, Sanctitatis, non ſolùm per actus fidei, ſed etiam per opera virtutum aliarum fit.

IV.

Augmentum Charitatis, non tantùm augmento morali, ſed etiam augmento phyſico, in ratione gratiæ creſcit.

V.

Radicari formam eſt nil aliud, quàm ſubiectũ magis de potentia in actum reduci.

VI.

Radicatione formæ non deſtruitur, nec de nouo qualitas aliqua producitur.

CONCLVSIO VI.

Charitas ſemel habita per vnũ actũ peccati mortalis amittitur.

COROLLARIA.

I.

Inter Charitatem & peccatum formalis incompossibilitas à natura rei datur.

II.

Quodlibet peccatum mortale Diuinæ amicitiæ cõtrarium est.

III.

Peccata venialia Charitatis feruorem diminuunt.

IV.

Charitas ex sua ratione, & ex se deficere non potest, iuxta dictum Apostoli. Charitas nunquam excidit.

V.

Charitas patriæ, vniuersam potentiam & capacitatem voluntatis nostræ satiat, ac explet.

VI.

Charitas viæ ex parte subiecti amitti potest.

Permiſſu,

Magnifici & Admodum Rńdi Dńi,

D. M. IACOBI VITELLII,

S. Th. D. & Profeſſ: Canon: Crac. Theologicæ Facultatis Decani, Procancell. Almæ Acad. Crac. ac

R E C T O R I S

Generalis.

Charitas non reſpicit Meum & Tuum, ſed quæ Dei ſunt.

S. Gregorius Hom: 5. in Euang.